





1745 12.

DE

DOT E

A

STVPRATORE STVPRATAE

PRAESTANDA

DISSERIT

ET

COLLEGIA SVA

PER SEMESTRE AESTIVVM HABENDA


INTIMAT

ABRAHAM KAESTNER

V. I. D. ET P. P.

L I P S I A E

LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMIL



§. I.

De Dote veterum Germanorum TACITVS de morib. Germ. cap. XVIII. sequentia scripta reliquit: *Quamquam seuera illic matrimonia, nec vllam morum partem magis laudaueris. Nam prope soli barbarorum singulis vxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. Dotem non vxor marito, sed vxori maritus offert. Inter sunt parentes et propinqui ac munera probant: munera non ad delicias muliebres quaesita nec quibus noua nupta comatur; sed boues et frenatum equum, et scutum cum framae gladioque. In haec munera vxor accipitur, atque inuicem ipsa armorum aliquid viro offert. Hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos coniugales Deos arbitrantur. Pater itaque ex his iure Teutonico maritum vxori constituere dotem, vt post eius mortem habeat, vnde se alat, Conf. SCHILT. Exerc. XXXVI §. 68. seq.*

§. II.

Iure autem Romano facie longe alia adparet dos. Nulla scilicet hoc iure inter coniuges erat bonorum communio, sed maritus de dote sibi prospicere debebat, ni solus onus alendi vxorem totamque familiam subire velit; Ex hac igitur ratione dos inualuit. v. TITIVS *obs. Lauterb. DCC LXIX. p. m. 518.* Hoc vero iure hodie ex ple-
rorumque Dd. opinione in foris Germaniae vtimur, id quod vsus iudiciorum fere vbique obseruat. Denotat aliquando CONVENTIONEM, v. *tit. tot. pro dot.* aliquando REM, v. *tit. sol. matr. dos quemadm.* aliquando vero IUS, v. *tit. tot. de iure dot.* et hoc sensu est *ius marito in rebus et quantitatis certis per conuentionem et subssecutam traditionem constitutam ad onera matrimonii ferenda.* Hinc SCHILTER. *cit. Exerc. XXXVI. §. 67.* continet, *inquit,* dos omnia quae maritus per vxorem iure domini ad sustinenda onera matrimonii accepit. Dos vero ad essentiam coniugii non requiritur. LVCVRGVS igitur et SOLON cauerunt, *vt virgines indotatae nuberent;* ne propter inopiam aliquae relinquerentur innuptae; Et aliae ob diuitias magis, quam ob spectatos mores ab adolescentibus colerentur. v. ANTON. GVIBERTI COSTANI *Tract. de dotib. et earum iure commentarii. cap. I. n. 4. p. m. 669.*

§. III.

Definitionem autem dotis modo adlatam, ad dotem, quae stupratae praestanda, de qua in specie hic sermo, adplicari non posse, in propatulo est, dos enim proprie insertur ab vxore ad onera matrimonii sustinenda, v. *l. 20. de iure dot.* haec vero, quae est huius loci nec ab vxore, nec ad onera matrimonii ferenda soluitur; Hinc etiam dotis nomen non meretur. Quid vero sit? inter Dd. non conuenit. A nonnullis dicitur satisfactio ad detrimenta nuptiarum sarcienda. v. LESSIVS *de l. et l. lib. II. cap. X. dubit. II. n. 11. p. m. 93.* Pecuniaria largitio damni illati. v. PEREZ *in C. tit. de adult. n. 52.* hinc in *Ord. Prou. Wurtemb. p. 263.* dicitur: *das Kränzlein zu bezahlen schuldig seyn ic. et paulo post: um der Verschällung ober beraubter Jungfrauschaft willen.* Quidam vocant *satisfactionem in detrimentum virginitalis,* seu *precium virginitalis.* v. ZOESIVS *in Comment. ad Tit. X. de spons. n. 20.* Alius est satisfactio in compensationem denegati matrimonii, v. STRYK. *in Addit. ad Brunnem. Jus Eccl. lib. II. c. XIII. §. 27. p. m. 571.* Satisfactio pro iniuria stupratae illata. v. CARPZ. *lib. II. def. CCXXXI, n. 10.* alia aliam denominationem adferunt; Cum vero dotatio accipiatur

accipiatur 1) pro ipso actu dotationis, 2) obiective, pro eo, quod stupratae soluitur, 3) pro illa obligatione, qua stuprator ad dotandum tenetur; Ideo in vltima significatione est *vinculum iuris, quo adstringitur, qui feminam honestam, sine promissione matrimonii vitiauit, si ducere eam vel non vult, vel non potest, vt loco eius, quia ad id tenebatur, ei, certam quantitatem dotis nomine praestet, quo facilius et nubendi conditionem inueniat, et habeat pudicitiae velamen.* v. BARDILI *de satisfactioe stupratae, membr. I. n. 6.* Tubing. 1685.

§. IV.

De illa vero quaestione nunc videndum: *An stuprator, si sine matrimonii promissione stuprum sit commissum, indistincte stupratam dotando sese liberare queat?* Circa quam quaestionem mirifice *Dd.* inter se dissentiunt. Multi, non infimi subsellii, stupratorem, *vt stupratam ducat*, simpliciter condemnant, nulla habita ratione sine promissio matrimonii facta siue non; hancque sententiam 1) regulis iustitiae et aequitati naturali conuenientem esse, dicunt, *a. l. 74. de R. I.* puella enim admitteus iuuenem, videtur hoc facere intuitu speratarum nuptiarum, et iuuenis ipso facto spem nuptiarum facit, et se pro marito gerit. *conf. LESSIUS de I. et L. Lib. II. c. X. dubit. II. n. 11.* 2) potissimum prouocant ad *EXOD. XXII. v. 16.* et *DEVT. XXII. 28. et 29.* per quos textus teneri stupratorem ad dotandam et ad ducendam stupratam, si ei pater vult dare nuptui, adserunt; Hoc quippe iure stuprator dotem a patre petere nequit, sed ipse stupratae congruam dotem ex suis bonis constituere tenetur, quae soluto matrimonio penes mulierem manet, quasi esset ab ea profecta. v. *GVT. ERREZ. Lib. I. Can. qu. XXXVII.* FARINAC. *Qu. CXLVII. n. 99.* a patre enim, ingenti ob stuprum filiae moerore affecto, ob confurcatam familiam, et spem frustratam, dotem exigere iniquum visum fuit, hinc stuprator, quid pro oneribus sibi deberetur, ipse sibi soluat, et nihilominus eam vxorem ducat, quo hoc pacto reddita materfamilias recuperet, quicquid ablatum est. v. *IO. A FELDEN in Elem. iurispr. vniuers. P. II. membr. XIX. p. 260.* Si vero pater virginis filiam suam stupratori (*homini forte dissoluto*) dare noluerit, dare stuprator virgini corruptae pecuniam iubetur, iuxta modum dotis, quam virgines accipere consueuerunt, *i. e.* tantum pecuniae, quantum eiusmodi virgini pro dote dari solebat v. *LVC. OSIANDER. ad Exod. XXII.* 3) Quia sententia, quae haecenus ex sacro Codice adlata iisdem verbis *iure Canon.* adprobata legitur, *in c. 1. X. de adult.* vnde *Legem Mosaicam. Exod. XXII.* canonizatam a Pontifice, et in Decretales relata, tradit *HENR. WAGNERECK, in Comment. ad ius Can. ad cit. cap. 1.* Strenue hanc sententiam tuetur *DE LVDEWIG, in dissertatione, qua differentias iuris Romani et Germanici in stupro sub matrimonii spe,* proponit. *Hal. 1730. habit.* vbi differentia *I. n. 8. p. 13.* hunc in modum scribit: *Atque his moribus viuunt iudaei etiam nunc, in his etiam regionibus: vt stupratorem obstringant ad ducendam eam in vxorem. Licet etiam spes nulla matrimonii facta sit stupratae. Quae est lege secura, solius illati stupri ergo; vt nullo opus habeat pacto vel promissio. Parum vero religiosa est et veritati inimica interpretatio, quae in arbitrato ponit stupratoris: num ducere malit, an dotare? Verumque certe particula ET imponit sacra pagina stupratori: vt et ducat et dotet. Apage, pergit, OPTIONEM, effictam a iurisperitis frustra petulantergue.* Fuisse admodum hanc suam sententiam in *appendice I. quem cit. dissert.* adiecit, explicat, textum hebraicum et colloquium intuitu huius materiae cum iudaeis institutum,

adducendo. Sententiam hucusque adductam, confirmat *Ordin. Consistor. March. art. 62.* recte BRUNNEM. in *I. E. lib. II. cap. XVIII. §. 26.* De terris Imperii eandem poenam adferit GYTTIERR. l. c. MEV. ad *I. L. P. IV. tit. V. art. I. n. 2.* cum multis quos adlegat.

§. V.

Optant haud pauci ut iuxta dispositionem iuris diuini et Canonici in Praxi procederetur. v. STRYK. in *not. ad BRUNNEM. c. I. §. 26. p. m. 570.* et a FELDEN. *c. I. p. 260.* ac proinde obtandum, scribit, esset, ut stricto verbo diuino inhaerentes copulatiue procederemus. A quorum sententia alii tamen plane recedunt, adferentes, dispositionem iuris diuini recte ideo esse mutatam, ne crescente indies malitia hominum, luxurioso praepremis; quo nunc viuimus seculo, metus sit, si propter carnalem copulam sciant, se ducendas a stupratoribus, ne illae obuiis quibuscunque iuuenibus sese turpissime prostituunt, et occasionem peccandi praebent, etiam honestissimis, quemadmodum ex BIDENB. refert BESOLD. *P. VI. conf. CCLXI. n. 40.* add. SCHEPLIZ. ad *Consuetud. Brandenb. P. I. tit. II. n. 10. neue inuitus quis ducere cogatur, quam odit.* v. SCHNEIDEW. ad *§. 23. Inst. de act. n. 12.* et ne inuitae nuptiae tristem habeant exitum, v. *c. 1. et 2. X. de sponsi.* hinc BALDVS in *L. neque ab initio, 14. C. de nupt.* inquit: *omne necessarium esse triste.* Quam sententiam etiam adprobauit Pontifex, in *cap. 2. X. de adult.*

§. VI.

Haec vltima opinio hodie vbique fere locorum obtinuit, quod nempe alterutrum eligendum, stupratorique liberum sit, an ducere, an dotare malit? Ut ea proptere forment regulam: *Quod stuprator, quum sine promissione matrimonii vitiauit, ducere hodie non teneatur, nec ad ducendum Magistratus eundem compellere possit.* v. DAMHOVD. *Pr. Cr. c. XCH. BERL. P. V. Concl. XXXIIX. n. 36.* LVGO de *I. et I. D. 12. sect. 1. n. 11.* vbi hanc sententiam dicit communem. Qua propter OSIANDER ad *Deut. XXII. v. 28.* Hodierna, inquit, iura, non cogunt stupratorem ut a se violatam ducat, si matrimonium non promissit. Imo RABBINOS textum iuris diuini alternatiue legisse, ex SELDEN. de *uxor. Hebr. lib. I. c. 16.* obseruat ZIEGLER. ad *LANC. I. I. C. lib. IV. tit. VIII. §. 3.* verb. *dotata virgine.* p. m. 987. GALOVIUS in *Bibliis illustratis*, ad *cit. Exod.* locum: *Lex*, inquit, *Mosaica de ducenda stuprata intelligi potest cum conditione, vbi nempe stuprator matrimonium promissit illi, quam vitiauit, vel cum quo concubuit.* In Electoratu Saxoniae per *Mandat. CHRISTIAN. II. Elect. d. A. 1609. §. da aber eine re. et Ordinat. Matrim. D. IO. GEORG. d. A. 1624. Punct. IV. §. da auch eine ledige re. v. C. I. E. S. p. 383.* it. per *P. IV. C. El. XXVII.* hoc in specie cautum. *Conf. Adnotationes meas ad Ord. Matr. pag. 94. §. 2.* Idem factum de iure *Lube.* *P. IV. tit. V. art. 1.* De qua generali consuetudine testantur GROENEW. de *LL. abrog. ad §. IV. l. de publ. iud. 10. A SANDE, lib. II. tit. I. d. 10. n. 1.* vt de ea hodie dubitet fere nemo.

§. VII.

Rationem, si illum inuestigare velis, cur stuprata vel ducenda vel dotanda veniat? vt genuina adducitur, corruptela, quae ex parte viri intercessisse censetur. Summus enim Legislator *Exod. XXII, 16.* *Si quis, dicit, pellexerit virginem;* Quod LUTHERVS reddidit: *Wenn iemand eine Jungfrau beredt.* Iure autem Canonico in *cap. 1. X. de adulter.* dicitur: *Si quis seduxerit virginem.* Quae ratio efficit, vt etiam adulter, virginem a se stupratam dotare teneatur; Licet enim illam ducere nequeat, obligatio tamen ad dotandum salua manet, v. *ill. DE LEYSER Vol. IX. Spec. DLXXXI.*

med. 8.

med. 8. Contrariam sententiam adducit MEV. *ad Ius Lub. P. IV. tit. V. art. I. n. 9. Satis adparet*, inquit, *iure nostro, maritum, qui solutam feminam impraegnauit, non teneri banc dotare, cum nec eam ducere possit.* Et in hunc modum etiam pronunciauit F. I. L. M. Dec. 1707. et Sept. 1713. referente MENCKEN. *in Theor. et Prax. Pand. ad L. Iul. de adult. §. 20. p. m. 1549.* Et *Scabinatus Lips.* apud CARPZ. P. IV. C. XXVII. d. 2. quod etiam de iure communi verius putant MARIAN. SOGIN. *in cap. 2. X. de adult.* DAMHOVD. *in Pr. rev. criminal. c. XCII. n. 7.* Si nempe tempore stupri maritatus fuerit aut sponsus. Quod si enim post illatum virgini viduae stuprum, cum alia matrimonium contraxerit, etsi hoc casu stupratam ducere nequeat, dotare tamen nihilominus tenetur. MEV. c. l. et MODESTIN. PISTOR. P. III. qu. CXXXVII. n. 16.

§. VIII.

Dictum fuit causam ad dotandum vel ducendum consistere in corruptelis ac illecebris, a viro adhibitis; Quid itaque statuendum si ipsa deslorata stupratorem corrumpit et pellexit? Etiam hoc casu stupratorem ad dotandum esse obligatum adferit MEV. c. l. n. 13. FARINAC. *Pr. Cr. P. IV. tit. XVI. Qu. CXLVII. n. 54.* Item SCHNEIDEV. *ad Inst. tit. de Ad. §. in duplum. XXIII. n. 141.* Et sic pronunciauit F. I. L. M. Jan. 1713. ob generalitatem constitutionis *Saxonicae*, v. MENCK. c. l. cui sententiae etiam *arg. cit. Const. P. IV. 27.* accedit DE BERGER. *in Oecon. iur. edit. nou. p. m. 823.* Cum vero contrariorum eadem sit natura et obseruantia, merito, si ipsa deslorata ansam stupro dedit, v. g. ad Museum vel lectum studiosi veniendo, a dotis praestatione stuprator liberandus erit; Licet enim iuxta modo adductos Auctores puella semper decepta et seducta praesumatur; Si tamen constet, *puellam occasione stupratori dedisse ad commitendum stuprum, tunc eam neque ducere, neque dotare obligatur.* Si enim aliter diceretur, non deessent puellae vilis conditionis, quae spe matrimonii aut dotationis omnem occasionem captarent, iuuenes alliciendi et ad stuprum inducendi. Cui sententiae calculum addunt LESSIVS *de I et I. Lib. II. c. X. dubit. II. n. 9.* LVGO *de I et I. disp. XII. dect. I. n. 2.* MOLINA *de I et I. tr. III. disp. 104. n. 10.* LVDOVICI *in doctrina Pandectarum, tit. ad Legem Iul. de adult. §. XV.* SCHÖEPPER *ad eund. tit. n. 68.* RICHTER. *dec. LXXXVIII. n. 18. seq. vbi praei.* STRYK. *ad BRVNNEM. I. E. Lib. II. c. XVIII. §. 26. p. m. 570. seq. ibi:* Es wolte denn stuprator genugsam erweisen, daß er sie nicht zu solchem stupro gendehiget, sondern sie vielmehr Anleitung darzu gegeben, und ohne Ursache zu ihm auf die Stube gefommen; Auf welchen Fall er damit zu hören, und a dotatione zu entbinden. Sic etiam iudicauerunt ICti *Viteberg. M. Jun. 1733. v. ill.* DE LEYSER. *cit. Vol. IX. Spec. DLXXXI. med. XII. p. m. 163.* Liberat hoc casu conceptis verbis stupratorem *Ord. Eccles. Brandenb. de dato Berol. 1573.* cuius extractum exhibui, *in Supplement. Prompt. iur. Pract. Beroch.* sub voce: *Huren-Brüche. §. 5. p. 394.*

§. IX.

Super stupro, si ciuilliter tantummodo agatur, iurisiurandi delationi locum relinquimus, praxis quotidiana testatur; Testatur vero etiam simul centies iurari parumque hoc modo a stuprata obtineri; Videndum itaque stupratae aduocato. an quodammodo probationem artificialem corradere, hacque vice efficere possit, vt necrici a iudice iuramentum suppletorium iniungatur: Hoc enim obtento et praesfito, stuprator quoque ad dotationem compellitur, vti pronunciauit F. I. Giesl. *Mense April.*

1739. cuius praeiudicium vna cum rationibus decidendi verbotenus recenset REINHART. in *Sel. Obseru. ad Christin. Decis. Vol. III. Obs. IV. p. m. 4. seq.* eandem sententiam vouet etiam ill. DE LEYSER c. V. *Spec. DLXXXIII. med. XIX. p. m. 167. seq.*

§. X.

Stabilita sic sententia, stupratorem ad dotandum, si ducere nolit, esse obligatum, vt de dotis quantitate inquiram, ordo exigit. Quidam autem putant ad vtriusque facultates esse respiciendum, v. ANTON. FABER. in *C. Lib. IX. tit. VII. d. 5. n. 6.* Aliqui ad facultates stupratoris, nec sufficere tantam quantitatem, quantum pater dedisset, quia non inueniret aliquando virum, si dotaretur secundam facultates paternas. v. CLAVD. BERTAZZOL. ad BARTHOL. BERTAZZOL. *Consult. dec. lib. II. Conf. 452. in fin.* Canonistae statuunt, quod talis quantitas dotis sit praestanda, quanti pluris eger, ad alteri pro sua conditione nubendum, vt itaque ex horum adserto maior omnino dos praestanda, quam alias pater praestare potuisset. Hinc GREGOR. SAYRVS, in *Theol. moral. Lib. II. cap. 2. n. 33.* hunc in modum scribit: *Quando autem virgo aliquam dotem habuit, cum qua honeste matrimonium inire posset, si non vitiatam fuisset, puta mille aureos: post huiusmodi autem stuprum non inuenit virum sibi aequalem, nisi cum dupla dote, tenebitur stuprator in hoc casu illi dare mille aureos, vt sic habeat cum suis duo millia, vt honeste matrimonium contrahere possit.* conf. LVIO de I. et I. *disp. XII. sect. I. n. 17.* LESSIVS de I. et I. *Lib. II. c. X. dub. II. n. 10. seq.* a qua sententia alieni non videntur SCHNEIDEW. ad *§. in duplum. XXIII. Inst. de act. n. 13.* et ZIEGL. ad LANCELOTT. I. I. C. p. 988. verb. *iuxta modum dotis*, quia per deflorationem conditio illius mulieris longe deterior facta est, et non ita facile maritum sibi aequalem inuenire poterit, si dotaretur tantum secundum facultates paternas. Id quod etiam adserit BRVNEM. I. E. *Lib. II. c. XIII. §. 28.* Dicunt vero, quod determinatio dotis ita facienda non sit, vt ea dimidiam partem bonorum stupratoris excedat, quem in modum praeiudicium *veterum Scabinor.* adducit BERL. P. V. *Conc. XXVIII. n. 25.* a quo tamen recedit MEV. ad I. L. *lib. IV. tit. V. art. 1. n. 13.* quia ad id non esset respiciendum quo cariturus est stuprator, cum et stuprata careat iis, quae omne pretium superant, nec rescirari facile possunt,

§. XI.

Quantitas itaque dotis, quia lege nullibi determinata est, aequo iudicis arbitrio relinquenda. a. l. i. §. f. *de iure delib.* iudex enim respicere debet ad eam quantitatem, quantum pater dedisset, vnde communis fere Dd. opinio quod iuxta conditionem patris stupratae dos aestimanda, quam ille dedisset, vel dare confueuisset. v. MOLLER. ad *Conf. El. 27. P. IV. RICHTER. dec. LXXXIX. n. 9. CARPZ. Pr. crim. Qu. LXIIX. n. 13.* BERL. P. V. *concl. XXXIIX. n. 20.* Quam sententiam receptiorem vocat STRYK. ad BRVNEM. I. E. c. l. et simul ad conditionem stupratae eiusque natiuitatem, hinc in *P. IV. Conf. El. 27.* dicitur: *So soll er sie ihres Standes und Herkommens nach dotiren; Et de iur. Lubec. c. l. So muß er die Geschwächte nach ihres Standes Gelegenheiff, und wie ihre Eltern hätten thun können, dotiren und begiffigen.* Si vero pater plane nullam dotem ob inopiam dare potuisset, nihilominus tamen dotanda, et quantitas ex bonis stupratoris ita determinanda, iuxta quam maritum inuenire possit. v. BERL. c. l. n. 23. MEV. ad I. L. c. l. n. 22. Si virgo sit venusta, honesta atque formosa, quam pater paucis dotare, potuisset, quia, vt loqui amant, saepe facies pro dote; Sane huic etiam maior dos a stupratore praestanda, quam pater dedisset. v. MEV. c. l. n. 24. CARPZ. *Pr. Crim. c. l. n. 16.* Si de vidua honeste viuente quaeras, qualis dos huic determinanda? respondeo:

eau

eam quantitatem esse praestandam, quam ante accepit. v. MEV. c. l. n. 25. Scabini tamen Lipsiens. etiam hoc casu pronunciarunt: ibidem Stande und Herkommen nach. v. CARPZ. P. IV. C. XXVII. det. 4. An vero illa etiam dotanda, quae sine dote occasione nubendi inueniatur? negat LESSIVS c. l. n. 15. LVGO c. l. n. 16. MENOCH. de A. I. Q. lib. II. cent. 3. alique; Contraria tamen sententia praefenda erit omnino, cum statim ex eo momento, quo stuprata est, obligatio ad dotandum nata sit; quod autem per accidens fit, et non nisi raro, non potest mutare naturam obligationis. v. FARINAC. qu. 147. n. 127. Inueniente enim desloratam nubendi occasione sine dote, non *in toto* *παλιος*, sed raro contingit. Imo stuprator nec eo casu a dotatione et alimentacione infantis liberatur, quamvis stuprata deinceps in matrimonio, cum alio inito, pepererit infantem. Qualem casum notabili responso F. I. V. illustrat de BERGER in Suppl. ad El. Pr. Crim. P. II. obs. CLV. p. m. 410. Aliud vero dicendum si stuprata lite pendente alteri nubat, hoc enim casu, quia suo facto, ante condemnationem stupratori electionem eripit, dotem petere nequit, bene tamen alimenta infantis. v. DE WERNHER P. V. Obs. CCXII. ibique praeiudicium.

§. XII.

Hiscie fundamentis positis pro qualitate et conditione patris desloratae nobili 800. *flor.* pro dote, et 200. pro alimentis infanti, adiudicatos, refert CARPZ. lib. II. def. CCXXXIII. n. 16. Doctoris autem filiae consistorium Lipsiense 200. *thal.* adiudicasse, recordor. Filiae rustici in terris Saxonicis 30. in oppidis filiabus opificum 40. aut 50. adiudicatos esse testatur CARPZ. Qu. LXIX. n. 17. 18. 50. Rustici filiae F. I. L. loco dotis 20. *flor.* infanti vero 8. *flor.* quotannis, bis es sein Brod verdienen könne adiudicauit. Simile praeiudicium laudatae modo Facultatis vbi ruricolae 20. *flor.* M. Febr. 1702. filiae autem cuius municipii exigui 40. *flor.* M. Ian. 1701. sunt adiudicatae, recenset MENCKEN. in Theor. et Prax. Pand. tit. ad L. tal. de adult. §. XX. p. m. 1549. Quid vero dicendum: Si deslorata sit nobilis, et asserat se v. g. marito suo 2000. *thal.* vel adhuc maiorem summam inferre potuisse? An hoc casu stuprator itidem nobilis, eandem quantitatem loco dotis soluere obstringatur? Videtur quod non: Tanta enim dos feminae stupratae non praestanda, quantum illa marito inferre potest; sed res tota adhuc iudicis arbitrio relinquatur. Hinc in tali casu F. I. V. M. Febr. 1724. ita respondit: Er erscheint daraus allenthalben so viel, daß der von N. N. die von N. N. entweder zu ehelichen, oder im Fall er solches zuthun nicht gesonnen, selbige, gestalteten Sachen nach, mit 2 bis 300 Rthlr zu dotiren, nicht weniger das mit ihr erzeugte Kind so lange, bis es sein Brod erwerben kan, jährlich mit 20. fl. zu veralimentiren schuldig, und wiew hierüber 14. Tage lang mit Gefängniß billig bestraffet. Integrum praeiudicium exhibet de WERNHER P. II. En. CCCLXIII. p. m. 678. Icti Francofurtens. stupratae loco dotis 50. *Thaler.* adiudicarunt, teste STRYK. ad BRVNNE M. I. E. lib. II. c. XVII. §. 66. p. m. 570. seq.

§. XIII.

Praecedentibus ad maiorem illustrationem casum, qui non diu, in S. C. P. L. contigit, adiucio. Actrix A. D. R. conueniebat N. de N. in puncto stupri commissi, petebat dotem, alimenta infantis aliasque impensas, et reo super stupro commissio iuramentum deferrebat. Lite *partim* adfirmatiue *partim* negatiue contestata, adiectisque exceptionibus 1) concubitus cum pluribus, 2) meretricii soluti, hincque 3) deficientis dotationis, alimentacionis, partus spurii, rei non sic fideliter gestae et plane non competentis actionis, ac insuper iuramentum, quoad puncta negata relato, Curia, die 21. Septembr. anni 1743. sequentem ferebat sententiam:

Auf Klage Exception und erfolgte Befehle, Vormunden A. D. R. Klägern, an einen Anwalden N von N. Beshl. andern Theils,

Erkennen wir:

Dieweil Befr. auf die erhobene Klage geantwortet, und der fleischlichen Vermischung geständig, darbey aber verschiedene Exceptiones opponirt, und den deserirten End referirt, so ist dessen Principal, wenn N. N. Principalin, nebst dem Eyde vor Gefährde, den ihr referirten Haupt-Eyde, sowohl, daß sie mit andern Manns-Personen sich fleischlich nicht vermischet, auch geädachter Befehls Principal dafür, daß sie zu seinen Willen gewesen, sie nicht gelohnt, schweuret, selbige mit 20 Gülden zu dotiren, auch ihr, die bey des Kindes Geburth und Tauffe, aufgewante Unkosten, auf Unsere Ermäßigung, zu erstatten, nicht weniger zu des Kindes alimentacion, so lange bis es sein Brod selbst erwerben kan, jährlich 12. fl. zu reichen schuldig.

Præstitis iuramentis iniunctis, vtraque parte, intuitu expensarum restituendarum, au-
lita, die 21. Decembr. 1743. sequebarur iententia:

Auf Klage, Antwort und erfolgte Befese etc.

Erkennen wir:

Dieweil Klägers Principalin das ihr zuerkannte iuramentum relatum, nebst dem vor Ge-
fährde geschworen, so bleibet es nummero bey unserm jüngst gesprochenem Urtheil schlech-
terdingß, und ist Deflr. auch die auf diesem Process, und bey Klägers Principalin Niederkunft
verwendeten Unkosten, woborn die sub A, fol. 18. liquidirte auf 16. Thlr. 13. Gr. gemäßiget
werden, Klägern zu bezahlen schuldig.

§. XIV.

Addo casum omnino nouissimum in quo hoc ipso anno, die 23. Aprilis, a Praetorio Lip-
sientis, in causa I. E. B. Klägerin, contra I. G. P. Beklagten, sequens decisum fuit larum:

Dieweil Klägerin den referirten Eyd geschworen, so ist Deflr. solche zu ehelichen, oder mit
15. fl. auszustatten, und die auf die Geburt und Lauffe des Kindes verwendete Unkosten an
6. Thlr. 10. Gr. zu entrichten, auch demselben, bis es sein Brod selber zu verdienen in dem Estrande,
jährlich 10. Thlr. Alimenta zu reichen pflichtig, wie nicht weniger die durch diesen Process ver-
ursachten Unkosten, davon die extraiudiciales sub C fol. 17. auf 1. Thlr. 22. Gr. zu maßigen,
Klägerin zu ersatten schuldig. Und werden die fol. 15. b. seq. angegebenen Unkosten, und zwar
die sub A. auf 2. Thlr. 6. Gr. die sub B. aber auf 1. Thlr. 16. Gr. gemäßiget.

§. XV.

Dotis promissio alias hanc tacitam conditionem: Si nuptiae sequuntur, inuoluit; In eo
vero casu, quo de hic agimus, vbi dos satisfactionis vicam, propter iniuriam illatam, obtinere,
res aliter se habet. a. L. vn. C. de rapt. virg. §. 1. verl. sine maritum volentes accipere. Si itaque
iuententia alternatiua vires rei iudicatae consecuta sit, ad instantiam supratae, terminus
praesigitur stupratori, intra quem dotem praestare debeat; Quo elapso, cum ipsemet in
mora sit, ad matrimonium ineundum compellitur. v. praesudic. apud DE WERNHER
P. II. En. CCCLXIV. p. m. 679. seq.

§. XVI.

Stuprator aliquando stupratam dorando non liberatur, sed pro qualitate circumstan-
tiarum longe maiori poena, carceris, relegationis, fustigationis, imo plane vltimo supplicio
afficitur, quales casus refert ill. DE LEYSER, Vol. IX. Spec. DLXXXI. ad quem L. B. remitto;
Longius enim hic excurrere instituti prohibet ratio; Paucis saltem adhuc id, cuius rei
gratia haec praemisit, peragendum. Scil. more diu obseruato, collegia, per semestre aesti-
uum habenda, DEO vitam viresque largiente, sunt indicanda, et quidem sequentia:

- I. LVDOVICI doctrinam PANDECTARVM, de nouo exordiar. Hora VIII-IX.
 - II. ELABORATORIO-PRACTICVM, inchoabo, Hora IX-X.
 - III. INSTITVTIONES IMPERIALES, explicabo, vbi quidem textum non
omitto, in singulis autem lectionibus B. MENCKENII Synopsis in supplē-
mentum adhibeo. Hora X-XI.
 - IV. STRYKII Examen IVRIS FEVDALIS illustrabo, Hora II-III.
 - V. IVS CAMBIALE, occasione Ordin. Cambial. Lips. tradam, Hora III-IV.
 - VI. DELINEATIONEM PROCESSVS abs me editam, praelegam, diebus 5 et 6.
Hora XI-XII.
 - VII. LECTIONES PVBLICAS in WERNHERI Compendium iuris, conti-
nuabo, iisdem diebus. Hora IX-X.
 - IX. REPETITIONI consuetae et EXERCITIO DISPVTATORIO, horis
hucusque obseruatis, vterius vacabo.
- Recensita collegia, et quidem priora tria, futuro die XXIV. Maii, post finitas nundinas
solennes; reliqua vero post festum Trinitatis, initium capient. Paxit Numen Diuinum, vt
omnia feliciter in illius Gloriam eueniant! Dabam Lipsiae Domin. Inbilate. A. R. S.
MDCCLXXXV.


ULB Halle
006 219 853


3



vd B







40
1794512
DE
D O T E
A
STVPRATORE STVPRATAE
P R A E S T A N D A
D I S S E R I T
E T
C O L L E G I A S V A
P E R S E M E S T R E A E S T I V V M H A B E N D A
I N T I M A T
A B R A H A M K A E S T N E R
V . I . D . E T P . P .
L I P S I A E
L I T E R I S I O . C H R I S T I A N I L A N G E N H E M I L .

